

Q. No. 230.

MEMORABILIVM  
BIBLIOTHECAE. CHEMNICENSIS

Ya  
1544

7

PART. VII.

EDIT. ET SIMVL

AD

# ACTVM. VALEDICTORIVM

IPSIS. CAL. MAIL. A. R. S. CLD IS CCLXXVII,

HORA. NONA. AVDITA. INSTITVENDVM

GRAVISSIMOS. SCHOLAE. INSPECTORES

PATRONOS

FAVTORES. QVE. REI. LITTERARIAE. OMNES

SVMMA. ANIMI. VENERATIONE

INVITAT

M. IOANN. GEORG. HAGER

RECTOR.



CHEMNICH

IMPRESSIT. CAROL. FRIDERIC. GEBHARDVS.

(7.)




THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
1871

LETTER FROM THE  
SECRETARY OF THE  
AMERICAN GEOGRAPHICAL SOCIETY  
TO THE PRESIDENT OF THE  
AMERICAN GEOGRAPHICAL SOCIETY  
AT THE ANNUAL MEETING  
HELD AT CHICAGO  
MAY 1871







**A**d rarissimum librum *Directorium statuum*, ex parte a nobis iam descriptum, a) redimus. Quartum ibidem locum *Monopolium philosophorum*, vulgo *die Schelmenzunft*, occupat. Ridiculae huius libri denominationis causam TEcum L. B. iam quoque communicauimus. b) Nunc laudabilis illius, si diis placet, societatis regulas, fociis praescriptas, verbis auctoris, suppeditabimus.

I. Prima huius collegii regula erat viuere sine regula, mensuram bibere sine mensura. Modus edendi sine modo. *L. parasitus. ff de collegiis illicitis.*

II. Omnes fratres sic viuant, vt semper aliis sint obligati, quodque creditores maiorem habeant anxietatem, quo pacto exsoluantur, quam ipsi debitores, qualiter satisfacere creditoribus possint, nec sit facultas creditori debitum exposcere. *L. paucum habemus. L. omnibus obligamur.*

III. Nemo fratrum sit, qui non plus consumat die dominico, quam tota septimana recuperet, redditus quoque anni sequentis anno praecedenti sint consumti. Nemo fratrum sub poena anathematis cogret de emendis censibus perpetuis, vel ad vitam, sed potius vendant vina antequam sint recepta in vasa. Vendant blada priusquam in horreum sint deducta. Nemo etiam sit, qui non post prandium dormiat, vt de sero expeditius vigilare possit et vacare potibus vsque ad horam consuetam, id  
\* 2 est

a) Memorabilia Bibi. nostrae P. IV. et V.

b) Ibid. P. V.



est duodecimam, vel paullo amplius. *L. Concubinatus, ff. nostrum matrimonium, et spe. iii. de rugos. len. §. Squalide, v. nos optamus.*

IV. Sub libello repudii strictissime mandamus et declarationis pro Beano, vel Cornuto manifesto. ne aliquis nostrae communitatis domus suae curet ornatum. Ita ut quilibet pronior sit decem elargiri denarios pro mensura vini, quam obulum pro scoba. Desint pulchra mensalia, mappae. ollae. patenae. urnae. feutellae. lauacrum. quae si habeantur, lauentur raro, nisi per flatum oris aut subducturam tunicae. Idem de vitris et cantharis erit iudicium, quae tamen unusquisque apud se habeat potius, quam bibliam, textum Aristotelis, aut quaestiones cuiusdam doctoris, nec vereatur qui magnificum se cenfet philosophum. si casu venerit amicus ipse expers pecuniae cantharum impignorare, et inferiola vel olla vinum afferre. *Instit. de manibus raro lau. §. Consuetudo est. ff. ad legem familiam. L. non sit cura. C. de his qui notantur infamia. L. Nos sumus. IX. 9. 1. c. Turpe est.*

V. Prohibemus singulis sternere lectulos, nisi noctis silentio: hoc est circa duodecimam. Sic quod prima nocte in medio lecti. altera in latere dextro, tertia in sinistro. somno se committat. Et de benignitate nostrorum privilegiorum cuilibet est indulgendum, hiemis tempore vestibus non exitis dormire, ne de mane se rursus induere et lectionem hora nona negligere cogatur. Si tamen se exuat tantus sit foetor pedum et caligarum spurcicies, ut nemo nisi huius sectae frater aerem pati valeat. *C. Unus ex nobis, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.*

VI. Caueat quilibet, ne in aestate ligna ad futuram hiemem disponere procuret, sed potius per hiemale tempus ter aut quater recentia et vda ligna emat, quae non nisi stramine ex lecto recepto incenduntur. Idem de luminibus, ne talentum simul sed tantum pro denario emere cogiter *Instit. de curtis straminibus, §. longi generantur pediculi. C. de potatoribus. l. mane. §. Sicio.*

VII. De vestibus hoc placet, ut per eas nostrae sectae sequaces a ceteris hominibus dignoscatur, scilicet quod colleria bireta capucia in marginibus sudoribus sint contexta. Tunicae vero et pallia ab ante cibi et vini defluxu appareant defoedatae. Nemo etiam nostrae fraternitatis suppositum, sordes et immunditias in ora vestimenti manibus euellere curet, sed potius forcipe abscindat, nec plumas abiciat nec vestes diru-



dirutas refareire finat. Et si alicui equitatum ire placuerit, non curet calcar dextri pedis sinistro et vice versa sinistri dextro adaptare, nec caput sello ad caudam equi iungere, nec curet sacco eodem in sellae appenso panes molles, caseos, nuces, botros, vitra, candelas, desepo, vasa famia quae vulgo crusibuli nominantur, calceos et libros per longum iter ducere. *De corpore vitiatu, capitulo equitant, XI. 9. 3. c. Inepte. Instituta, de ludibriis hominum, §. Hi sunt de domibus leprororum. c. videntur &c.*

VIII. Nostros decet philosophos expertos esse omnis curae atque sollicitudinis, ita vt minima sit eis cura, qualiter incedant, videlicet bireto inuerso, alba mitra, paruo capucio, dispersis crinibus, pennis plenis. Nec etiam refert, si de mane dicant sibi obuiantibus bonum sero, vel vice versa sero dicant, bonum mane, nec series rerum curanda est, quo ordine sitae sint, videlicet nihil intersit si cantharus, libri, caseus, capucia, charta, taxilli, pecten incaustum, cussini, calcei, femorale, biretrum, caligae, facilerum in eadem mensa, lecto vel scamno confundantur, nec sit cura an domus aperta sit vel clausa, munda sit vel seopibus plena, dummodo solum ianua prae seopibus et immundis pulueribus possit aperiri. Laudandus insuper est qui hic claves, cultellos, chartas, alibi vero biretrum, capucium, vel aliud relinquat. Calceos quoque gestent inferius ruptos, superius clausos. Item libertatem damus si quando quisquam in pecunia deficit capucium puluinar cantharum &c. apud cauponem cocum vel pistorem aut hospitem apud lucium impignorare potest. Et si quis caducam haberet monetam, quae forte repelleretur, illuminare valet. *C. de falsariis. L. moneta.*

His legibus adiectae sunt litterae vt appellantur, indulgentiarum, quae his fere verbis conceptae sunt;

In nomine domini amen. Dromo Dromonis de Dromonia suffraganeus vniuersis nobilibus, regibus, ducibus, comitibus, baronibus, tetrarchis, patriciis, praefectis, praetoribus, tribunis, eduocatis, procuratoribus, centurionibus, archidapiferis, cauponibus, militibus, tiro-nibus, reuerendis patribus, episcopis, archiepiscopis, praepositis, decan-is, cantoribus, scholasticis, monialibus, thesaurariis, archidiaconis, archibresbyteris, sacerdotibus, diaconis, tabellionibus, lenis, lenoni-bus, ioculatoribus, balnearioribus, parasitis, balnearioribus, et praeci-



pue famulis monachorum et sacerdotum, etiam saecularium discretis ci-  
tibus, mechanicis, et insulis rusticis, assatoribus et omnibus cocis in  
amore vini nobis coniunctis, quos et operum tarditas nostrae ditioni  
subiectos esse comprobat, salutem et robur in esu, in potu, et dormi-  
tionibus vitam quietam. - - - Deinde his omnibus hae litterae promit-  
tunt post annum tricesimum fletum oculorum, obtusum caput, palpi-  
tantes manus. Generaliter autem omnibus dispensamus pleuresin, fre-  
nesin, litargiam, spasnum, melancholiam, tussim, catarrum, tremo-  
rem corporis, ulcera, strumam, apostemata, scabiem, reuma, pallo-  
rem, paralytin, podagram, chiragram, genugram et tandem vt sibi  
ipsis sint ludibrio &c.

Ortwinus Seltenler lubrica Cereris et Bacchi  
potarius et tabellio subscripsit.

Haec ergo, vt videmus, quaestio accessoria proposita a *M. Bartho-  
lomaeo Gribo*, Argentin. exhibet satyram acerbissimam, in qua mores  
tunc temporis corruptissimi risui exponuntur. Depingit homines non  
quales esse debeant, sed quales fuerint. Stilum, quo vsus est, horri-  
dum et barbarum vitare discant inuenes, sed discant etiam vitare vitia,  
ae verba HORATII c) ipsos ferire videantur:

— — Quid vides? mutato nomine de te

Fabula narratur.

Hanc excipit in Destruclorio satyram alia eiusdem fere tenoris ita in-  
scripta:

### V. Monopolium et societas vulgo des Liechtschiffs.

Praefixa est ligno incisa figura, in qua apparet nauicula homini-  
bus plena in aere. In inferiore parte figurae currus ab auriga vehi-  
tur dolio, vt videtur, vinario oneratus, quem sequitur vinitor cum sche-  
dula in manu sinistra ad nauiculam directa, his verbis: *beita, beita*, cui  
acclamat focus e nauicula: *hie bar zum Liechtschiff*, et adhuc alius;  
*siesche campane siesche*. — —

Tunc pagina prima legitur:

Quae-

c) Sat. Lib. I, Sat. I, 69. 70.



Quaestio minus principalis a *Iodoco Gallico*, Rubiacens. in disputatione quodlibetaria excitandi ioci et animi laxandi causa Heydelberge determinata. In prooemio certiores nos reddit auctor, se non modo degeneris et priuati hominis, verum totius et magnae communis partes esse acturum, et quidem ita, vt praeconis instar indicaturus sit, quid haec noua nauicula prae se ferat, quos admittat, quibusque tueatur priuilegiis. Eum in finem hanc nauiculam exstructam esse docet, vt illam conscendere queant omnes qui ebrietate, otio, conuiuuiis, negligentia, somno aliisque vitiis prae aliis excellent. Indigni vero sunt hac societate, vt auctor profiteretur his verbis: principes, qui omnibus teloniis et pedagiis renuntiauerunt: Episcopi, qui solo spiramine sancto electi sunt, Canonicus, qui oblatum episcopatum renuit: Iudex, qui dona vltro praesentata contempsit: Monachi, quos intrasse religionem nunquam poenituit: Plebani, qui ab offertoriis cessare praeceperunt: Sacerdotes, qui solo dei amore beneficium acceptauerunt: Vicarii, qui omni die per circulum anni nunquam intendentes pecuniae celebrauerunt: Theologus, qui conscientiam suam nunquam ampliavit: Medicus, qui vel nihil vel nimis parum ab infirmo exegit: Artista, qui nunquam factus est periurus: Studens, qui nec auem furatus est: Mollitor, qui farinam nunquam subtraxit: Textor, qui fila nulla retinuit: Sartor, qui minimas panni reliquias restituit: Apothecarius, qui nunquam decepit: Vector, qui non maledixit: Lusor, qui non blasphemauit: Iudaeus, qui cum Christiano sine dolo vixit. Haec speciminis loco sufficiant. Est satyra barbaro et lepido stilo conscripta, qua vitia illorum temporum consueta facete deridentur. Tandem in *Destructorio* sequitur:

## VI. Carmen de errore doctorum illustrium de consummatione seu fine huius saeculi diffinentium.

Hoc carmine parum venusto, barbaro et contra leges profodicas saepius peccante audacia eorum culpatur, qui docuerunt, finem huius vniuersi adesse, cum Christus discipulis suis dixerit:

Non pertinet vobis posse futura scire.

Et sic tandem absoluimus recensionem rarissimi libri, cuius inscriptio haec est: *Directorium statuum a PETRO ATTENDORNIO* Argent. 1489. 4to editi. Quam plurimi istiusmodi libri in bibliotheca nostra adhuc extant, quorum mentionem faciemus alio tempore.



VD18 pore. Nunc conuertimus nos ad illud, cuius causa arripuimus  
calamum, nimirum nominandus est iuuenis bonae spei et indolis

IOANNES FRIDERICVS MÜLLERVS,  
Chemnicensis Misn.

qui discessam a musis nostris nunc meditatur. Parentem agnoscit  
ciuem apud nos honestum et Conuentui ad Spiritum S. praese-  
ctum. A teneris vnguiculis scholam nostram diligenter frequen-  
tauit. DEVM Opt. Max. pura, vt debemus, mente perpetuo  
coluit. In iis, quae ad altiora prosequenda requiruntur studia,  
linguis profectus fecit laudabiles. Suauitati praeterea morum stu-  
dium libenter. Neque abhorruit a studio musico cum fructu et laude praesse  
posset. Nunc vltimum vale nobis acclamaturus carmine teutoni-  
co praefabitur oratione latina *de translatione graeca Ss. septuaginta  
sic dicta virali*. Quo facto ipsi faustissima precabitur quaeuis  
iuuenis non contemnendis ingenii et doctrinae ornamentis praedi-  
tus


IVSTVS GODOFREDVS EHRENHAUS,  
Gelenauens. Misn.

Optata sua carmine teutonico proferet, praemissa oratione teut.  
de amicitia magna hominis felicitate.

Vos, INSPECTORES SCHOLAE NOSTRAE GRAVISSIMI  
et VOS omnes, *Patroni ac Fautores honoratissimi*, enixe nunc rogitamus,  
vt praesentia VESTRA honorifica dicturos benevole dignari velitis,  
quo beneficio et illos et me VOBIS obstrictissimos habebitis, P. P.  
Chemnicii, d. 28. April. A. R. S. MDCCCXXVII.







Q. M. 230. 10

MEMORABILIVM  
BIBLIOTHECAE, CHEMNICENSIS

Ya  
1544

7

PART. VII.

EDIT. ET SIMVL

AD

# ACTVM. VALEDICTORIVM

IPSIS. CAL. MAIL. A. R. S. MDCCCLXXVII,  
HORA. NONA. AVDITA. INSTITVENDVM  
GRAVISSIMOS. SCHOLAE. INSPECTORES  
PATRONOS  
FAVTORES. QVE. REL. LITTERARIAE. OMNES  
SVMMA. ANIML. VENERATIONE

INVITAT

M. IOANN. GEORG. HAGER

RECTOR.



CHEMNICII

IMPRESSIT. CAROL. FRIDERIC. GEBHARDVS.

(7.)